09.B/03-008

Clariſsimo ac Doctiſsimo Viro

D. D. Roberto de Visiani Horti Caes. Reg. Universitatis Patavinae Praefecto

JOANNES DE BRIGNOLI A BRUNNHOFF

IN ARCHIGYMNASIO MUTINENSI BOTANICES ET REI RUSTICAE PROFESSOR;

R. Academiae Taurinensi, Caes. Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum, Imp. Georgophilorum Florentinae, Linneanae Parisiensi, Mineralogicae Jenensi, Lyncaeorum Romanae, Agrariae Pisaurensi, Obtusorum Spoletinae Commercio litterarum adscitus; R. Academiae Scientiar. Litterar. & Art. Mutinensis Socius Ordinarius; Societatis Amicor. Naturae Scrutator. Berolinensis, ac Historiae Naturalis Cultorum Genevensis Membrum exterum; Societatis Geologicae Gallicae, & Horticulturalis Leodiensis Membrum; unus ex XL. Sophis Academiae Scientiar. Litterar. & Art. Urceanensis; Athenaei vel Academiae Pisaurensis, Agrariae Utinensis, & Regiensis, atque Surdorum Urbinatis Sodalis.

S. P. D.

Postquam per integrum decennium variis distractus negotiis, studiisque a Botanicis alienis, curas meas horticulturae denegavi, tertius tandem nunc annus excurrit, quo Horti Botanici, cui praesum, alacri animo instaurationem suscepi. Clementissimus interea Dominus Noster FRANCISCUS IV. Dux fel. reg. novis amplissimisque Hypocaustis, aliisque, quotquot ad optimum cultum, commodis, regia vere munificentia, Hortum hujus R. Archigymnasii exornari jussit, atque Hortulanum D. CAROLUM SUSAN affabre instructum expertissimumque mihi est elargitus. Plures Amici Botanici & Conlegae, ab extremo Europae Septentrione ad extimum usque Austrum, semina selectiorum plantarum mecum benevole communicarunt, adeo, ut brevissimo hoc temporis lapsu, Hortus ultra 4000 plantarum speciebus dives sit factus. Grates ergo quam maximas illis reddo atque etiam reddo, & precor ac obsequentissime obtestor, ne hoc ipso & subsequentibus annis me desinant.

Catalogum absolutum plantarum hucusque huic Horto adscitarum, heic Tibi, Vir clarissime, sisto, ut facile conspicere queas, quanti, hocce solo triennio, Amicorum Botanicorum favore, divitiae vegetabiles in Horto antehac derelicto & fere pessundato, excreverint. Duobus proxime elapsis annis, ut mos est, Elenchum tantum Seminum collectorum evulgabam, permutationemque instituebam cum seminibus quae ex aliis hujusmodi Elenchis ad me missis deligebam; sed experientia rerum omnium magistra me docuit, nimis longam hanc esse viam, praecipue quum agitur de hortis valde dissitis. Eapropter temporis dispendii minuendi caussa, in subjecto Catalogo generali plantas omnes (*) Asterisco notavi, quarum semina ex recentiori collectione cum amicis communicanda possideo, & signo (»), quarum viviradices in promptu sunt cum vicinioribus hortis permutandae. Ex his enim seligere poteris quaeque magis Tibi placent, & desiderata per litteras indices quaeso. Ego cito citius, quam fieri poterit, mox ac litteras Tuas humanissimas accipiam, ut omnia exoptata ad Te rite perveniant curabo. Ex adjecto Catalogo insuper comperies quibus ego careo, & quibus Tu me divitem reddere potes; hinc omnia quae heic non adsunt, & quorum Tibi est copia, si mittas gratissima erunt, praesertim si ex iis quae ex Elencho tuo selegi, in adnexa plagula notatis; & ex tuis Dalmaticis quibusdam — me benigne participem facere Tibi placeat.

Vale, Vir praeclarissime, & in augmentum amabilis Scientiae diu vivas & incolumis ardentissime exoptat

Celeberrimi Nominis Tui

Dabam Mutinae (Modena) in Italia ex Museo XVIII. *Kal. Januar.* MDCCCXXXVII.

Per la prima volta che ho l'onore d'iscriverle, mi rincresce di non avere il tempo di estendermi; però ardisco pregarla di mandarmi la nota de' suoi duplicati da vaso insieme con la scelta di quelli ch'Ella desidera.

Devinctiſsimus Servus & Conlega

Joannes de' Brignoli a Brunnhoff

Modena